VITA CHARETIS ATHENIENSIS
PARS PRIOR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XI. MENSIS APRILIS MDCCCLXX

HORA X.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS JONAS,

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

C. ALSCHWEIG, CAND. PHILOS.
R. NEUMANN, DRD
C. THAISS, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.

TYPIS A. NEUMANNI.

BOHLE

AVUNCULO BENEVOLENTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Praefatio.

Ex ducibus notis extremorum annorum, quibus Athenienses sui iuris erant, de nullo tam variae sententiae prolatae sunt ab historicis nostrae aetatis, quam de Charete orto ex pago Attico Angele; qui rerum illo tempore gestarum maxime particeps fuit. Ac primum quidem Grote in historia Graeca (quam vertit in linguam germanicam Meissner vol. VI p. 181) dicit eum fuisse virum magnae audaciae, ceterum nullas virtutes habuisse, et affirmat causam in Iphicratem, Timotheum, Menestheum actam propterea Athenis tanto detrimento fuisse, quod Chares ea elatus esset. Alio loco eum dicit fuisse laxum et rapacem (vol. VI p. 368). Neque mimus Wachsmuth (Antiquit. Graec. I p. 290), Brueckner (de Philippo rege et quomodo se habuerit adversus civitates Graecas p. 209, 278), Rehdantz in vitis Iphicratis, Chabriae, Timothei (p. 208 ss.) nihil fere boni de Charete dicunt. Contra Flathe in historia Macedoniae (vol. I p. 117 s.) melius judicat de eo et conatur eum absolvere criminibus ei imputatis. Ante omnes Cassianus in dissertatione „de Charetis Atheniensis rebus gestis ac moribus“ illum fama mala liberare studet. Schaefer (Demosth. eiusque aetas vol. II p. 49 ss.) medium tenet inter

varias ententias. Varietas sententiarum de Charete allatorum in magna parte orta est ex variis aequalium de eo dictis.

Aeschines eum vituperat, ubicunque occasio oblata est. Demosthenes defendit eum. Constat Charetem plurimum tempus copiis contra Philippum pugnantibus praefuisse, Demosthenem adversarium, Aeschinem amicum Macedonum fuisse. Quare caute utriusque sententia est accipienda. Theopompus de Charete nihil nisi malum tradit; quanta fide Theopompus dignus sit, scimus. Ceterorum scriptorum antiquorum praecipue Diodorus et Plutarchus de Charete retulerunt, neque hi boni quidquam de Charete afferunt; Quae quum ita sint, operae pretinm mihi esse videtur denuo disputare de vita imperatoris noti.

~~~~~~~~~~~~~~~
~~~~~~~~~~~~~~~

Cap. I.

Quae Chares gesserit usque ad bellum sociale, exponitur.

§ 1.

Quo anno Chares natus sit, et de origine eius ac adolescentia disputatur.

Quo anno Chares natus sit et quot annos habuerit, veteres scriptores non narrant. Nihilominus quum respiciamus, quo tempore primum ipse ille Atheniensis dux exercitui imperaverit et quo anno mortuus sit, annum natalem et aetatem constituere possumus. Ac primum quidem Chares in collegium decem ducum Atheniensium anno CCCLXVI ante Christum natum (Ol. CIII., II.) creatus est; mortis eins annus Ol. CXIII., IV. fere putatur. Si igitur Chares, quum primum munere ducis Atheniensis fungeretur, triginta certe annos natus esse debuit, anno CCCLXLVI a. C. natus est. Idcirco aetatem septuaginta duorum ferme annorum habuit. De genere[1]) quidem Charetis pauca modo, de adolescentia nihil ex literis scimus.

---

[1]) Stephanus Byz. s. *Ἀγγέλη* Charetem filium esse Cleocharis *Ἀγγελῆθεν* dicit. Contra Plutarchus (an seni sit gerenda r. publ. (ed. Joh. Georg. Hutten. Tuebingen vol XII p. 113) Charetis patri nomen Theocharis dat. Ex similitudine autem nominum patrum Stephanum Byzant. eundem notum ducem, quem Plutarch, dixisse opinor. Sed uter scriptor nomen patris Charetis accurate non tradiderit an uterque id fecerit, demonstrari non potest. Cfr. Rehdantz: vitae Iphicratis, Chabriae, Timothei Atheniensium p. 208 [20].

Chares patre Theochare (vel Cleochare) e pago Attico Angele orto genitus est. Prima stipendia ille ducibus mercenariorum tum clarissimis fecisse videtur; nec sine gloria admodum juvenis quia inter decem illos duces Athenienses creatus est a CCCLXVI a. C.

Multo autem plures annos, quam triginta, Chares illo tempore habuisse non potest, nisi maximam aetatem consecutus esse putatur id quod iam eam ob causam valere non potest, quod extremo tempore vitae mercenarios duxisse apparet.

Adolescente igitur Charete Athenienses se recreare coeperunt. Thebani enim Spartanorum principatu se liberaverunt; id quod non modo iis ipsis, sed etiam Atheniensium rei publicae magni momenti fuit; quumque Thebani, ut Spartae auctoritatem minuerent, operam darent, Lacedaemonii autem ab illis se defenderent, Athenienses pristinam potentiam assequi prospere conabantur; mercaturam exercentes divitias in urbem suam cogebant, novos socios aequis conditionibus sibi adiungebant.

Sed, ut novam auctoritatem tenerent, fortes et in artibus belli militaribus exercitati esse debebant. Longis autem bellis antea gestis et mollitie, quae simul cum divitiis nova mercatura collectis Athenas invehebatur, illos pugnare ipsos taedebat neque inviti mercenariis, quorum numerus bello Peloponnesiaco ac praesertim reditu illorum decem milium a Cyro contra Artaxerxem fratrem conductorum maximus factus erat, bella gerenda tradebant. Praeterea Athenienses tot cives armipotentes contra hostes mittere non poterant, quot iis necesse

---

Boehnecke: Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner p. 400, 4 et p. 650. — Boeckh: Ueber das Seewesen der Athener p. 427 Charetem Aexonensem in inscriptione XIII. a. 139 140 commemoratum fortasse nostrum ducem esse dicit; sed ipse opinionem suam levem habet ducis tam clari nomine pagi addito mentionem esse factam verisimile non esse declarans. Recte quidem id dicere mihi videtur; re vera enim in alia parte eiusdem inscriptionis (p. 441 inscr. XIII. c. 81.) nomine pagi non allato dux Chares appellatus commemoratur, qui noster Chares esse apparet; nam hunc classi Atheniensium Nicomacho archonte (Ol. CIX, IV) praepositum fuisse constat.

erant, siquidem auctoritatem modo comparatam conservare volebant.[1]

Verum de mercenariis antiqui scriptores non bene dixerunt.[2] Demosthenes, ut exemplum afferam, quamvis Atheniensibus, ut iis ad incursiones in Philippi fines faciendas uterentur suaderet,[3] illos esse ignobiles atque eos, quorum quam maximas pecunias parere plurimum interesset, fatetur; Isocrates violentiam praedandique cupidinem mercenariorum reprehendit eosque eius civitatis partes, quae maximam mercedem daret, libentissime sequi dicit, quod Diodorus confirmat; Phayllo enim sacrilego magnas pecunias habenti multos mercenarios se adiunxisse metu deorum prorsus neglecto narrat. Inter tales igitur homines Chares adolevit, si modo in exercitibus mercenariorum versabatur. Quo illius animum bene affectum et patriae amorem cultum esse nemo contendere potest. Atque etiam Atheniensium corruptela magna fuit illo tempore. Nam qui res publicas administrabant, magis sibi ipsis quam communi saluti consulebant neque adoslescenti omnia patriae utilitati postponendi exempla offerebant.

Athenienses, etsi Spartanorum clades eorum urbi utilitati erat, tamen, ne Thebani maiorem potentiam assequerentur, in bello a Thebanis contra Lacedaemonios gesto cum his se coniunxerant. Tum Charetem primum ducem exercitus Atheniensis invenimus.

---

[1]) Ruestow et Koechly „Ueber das Heerwesen der alten Griechen“ (p. 85). „Schon die weiteren,“ aiunt „und länger dauernden Expeditionen des Brasidas nach Chalkidike, der Athener nach Sicilien, die nicht in kurzen abgerissenen Feldzügen, sondern nur durch unausgesetztes Verharren im Felde ihren Zweck erreichen konnten, hatten die Unzulänglichkeit der bis jetzt gebräuchlichen Bürgeraufgebote in ihrer herkömmlichen Formation erwiesen und Anlass zur Verwendung eigenthümlicher Heerbildungen, namentlich von Söldnern gegeben.“ Quibus de causis Athenienses, ne potentiam suam iterum amitterent, mercenarios conducebant, qui pro rebus suis pugnarent.

[2]) Demosthenis or. Phil. I, 25. — Isocrates de pace 168. — Diodori lib. XVI. c 37.

[3]) Dem. or. Phil. I, 21.

§ 2.

De rebus a Charete pro Phliasiis gestis a. CCCLXVI a. C. n.

(Diod. lib. XV c. 75 Xen. hell. VII 2, 1 17 sqq. Aeschines de fals. leg. 168. Grote: Geschichte Griechenlands (ed. Meissner) vol. 5 p. 525. A. Schaefer: Demosthenes und seine Zeit. vol. I. p. 91. Rehdantz: vitae Iph. Chabr. Tim. Atth. p. 109).

In illo bello Phliasii a partibus Spartanorum steterunt, Sicyonii autem et Argivi Thebanorum commoda defenderunt. Sicyonii igitur castellum in Thyamia monte muniverunt, Argivi Tricarani montis deiectum septentrionalem occupaverant, quare Phliasii vehementer premebantur Corintho urbe socia interclusi. Sed inde iis finibus obsessis ab hostibus ea, quae ad vitam necessaria erant, sumenda erant; nam, quae incursionibus capiebant, non sufficiebant. Iter autem Corinthum hostibus imminentibus periculosissimum erat. Quibus in angustiis Phliasii ab Atheniensibus, ut copias, quae sibi frumentum adportantibus essent praesidio [1], mitterent, petiverunt. Athenienses Charetem miserunt. Quot milites Chares duxerit, non est traditum.

Charetem civibus Atheniensibus et mercenariis ab Alcibiade ductis praepositum fuisse comperimus [2]) Quum Athenienses classem exornasse nusquam narretur, Chares per Isthmum Corinthium profectus esse videtur; illum hostes occupasse negamus, quum illic a duce Atheniensi pugnatum esse non audiamus. In faucibus autem Nemeis Corintho venientibus superandis Chareti Argivi obstiterunt.

---

[1]) Schaefer narrans (v. supra) Charetem Corintho frumentum Phliunta secum gessisse errare mihi videtur. Locum enim, quo ad confirmandam opinionem suam usus est „τὴν εἰς Φλιοῦντα παραπομπήν“ (Aesch v. supra) de militum praesidio modo frumento a Phliasiis adferendo destinato dicere sentio. Atque etiam id, quod simul, ut Chares advenit, Phliasii Atheniensibus copiis usi sunt, ut alimenta Pellene iis tuentibus sumerent — quod necessarium non fuisset, si Chares cibaria secum attulisset — meam de hac re sententiam confirmat.

[2]) Rehdantz (v. supra) Charetem mercenariorum modo exercitum duxisse narrat. Sed Aeschines (v. supra) civium Atheniensium et mercenariorum exercitum illius fuisse accurate dicit.

At ille vi sibi viam fecit [1]) Phliasii eius militibus statim usi sunt, ut eos, qui arma gerere, non possent, Pellenen amicam ducerent ac simul inde frumentum aliaque vitae necessaria portarent. Iter autem Pellenen ducens Sicyonii tenebant. Agmen a Charete Pellenen ductum Sicyonii mea sententia propter id non vexaverunt, ut Phliasios a reditu intercluderent eosque alimentis allatis privarent.

Phliasii Charete tuente integri Pellenen venerunt. Hic ineptos ad arma gerenda reliquerunt et rebus necessariis prospexerunt. Redeuntibus Sicyonii occurrerunt, victi autem illos impedire non potuerunt. Philiasii agmen Phliunta duxerunt. Chares usque ad solem orientem, ne ab hostibus opprimeretur, excubias agi iussit.

Diem insequentem copiae eius recreabantur. Vespera autem dux Atheniensis Phliasiis suadentibus in Thyamiam impetum fecit. Quamquam milites celere et extremo vehementissime progrediebantur, tamen ordinem suum non dissolverunt. At Sicyonii, qui adversarios suos tam subito aggressuros esse non exspectavissent, repentino impetu oppressi celerrime omnia relinquentes fugerunt. At Phliasiis Thyamiam tenentibus iter Corinthum ducens apertum erat. Munimenta castelli illius perfecerunt. Chares vero tum in Phliasiis manebat. Sed etiam eodem anno, quum Athenienses contra Oropum exercitum educerent, revocatus est.

§ 3.

Chares ex Peloponneso revocatur, sed brevi post illuc remittitur a. CCCLX$\frac{VI}{V}$ a. C.

(Diod. XV., Xen. Hell. VII. 4, 1, 4. Dem. de cor. 99. — Schaefer I., 92—100. Grote V, 539. Rehdantz, p. 109).

Oropus ad deiectum in septentrionem versum montium, qui fines sunt Atticae et Boeotiae, iam antea The-

---

[1]) Diodorus (v. supra) Charetem Argivos duobus proeliis vicisse narrat; illum cum Sicyoniis quoque pugnasse ignorat Xenophonti tempore illius belli viventi contradicens. Xenophon de proelio a Charete cum Argivis commisso nihil memorat, propter id, quod Phliasii non intererant. Aeschines (v. supra) anxilia ab

banis et Atheniensibus materiam litis, utri eam haberent, dederat. Extremo tempore Athenienses illam urbem tenebant. Sed iis ab exsulibus Oropiis a. CCCLXVI a. C. ea erepta est. Illos profugos Themison et Theodorus, Eretriae Euboeae tyranni, qui, quum post victoriam ad Leuctra a Thebanis de Spartanis reportatam societas navalis dissolvi coepta esset, ab Atheniensibus defecerant, adiuverant. Quam aegre Athenienses tulerint, quod Oropus esset amissa, ex opera, quam ad illam recuperandam dederunt, intelligitur. Atque etiam Charetem ex Peloponneso revocaverunt, quamvis ea re auctoritatem ibi modo partam rebus prospere gestis dubiam facerent. Id extremo anno CCCLXVI a. C. n. (Ol. CIII., III.) factum est. At Oropii a Thebanis praesidium petiverunt et, quum Athenienses Lacedaemoniorum partes sequerentur, facile auxilia impetraverunt. Quam ob rem Athenienses, qui a sociis Peloponnesiacis Athenarum potentiam maiorem fieri nolentibus non iuvarentur, impetum facere non sunt ausi; Thebani urbem tenebant. Quae Chares in re Oropia fecerit, narratum non est. Mox in Peloponneso iterum eum invenimus. Quum enim Corinthii aliique socii Peloponnesi erga Athenienses pristinum animum conservasse non viderentur, populus Atheniensis decrevit, ut Chares cum exercitu mitteretur, ne Corinthii deficere possent. Is igitur, qui paulo ante rebus in Peloponneso gestis res Corinthias nosse poterat, extremo anno CCCLXVI a. C. n. aut ineunte anno CCCLXV a. C. naves Athenis solvit. Quem numerum navium militumque, utrum cives an mercenarios modo duceret, non est dictum. Corinthii, quum animadvertissent, quid Athenienses in animo haberent, in omnes locos suorum finium, quibus erant Atheniensium [1]) praesidia, suos milites miserunt, se alieno auxilio iam non egere dicentes.

Atheniensibus Phliasiis missa cum hostibus in faucibus Nemeis conflixisse narrat; namque Argivos Tricarani montis deiectum in septentrionem versum tenuisse, quominus quisquam per fauces illas se invitis iter faceret, non est dubium; quo Argivos Charetem illic superasse apparet Narrationes variae in unum ita reducendae sunt, ut Chares primum contra Argivos, tum contra Sicyonios certaverit.

[1]) Qua de re Chares Oropi causa e Peloponneso revocatus milites ibi, ne Thebani per fines Corinthiorum exercitum ducere

Atheniensibus militibus Corintho collectis iniurias conqueri permissum est. Interea Chares cum classe Cenchreas, Corinthi portum, venerat. Qui esset animus Corinthiorum, intelligens se esse missum, ut urbem amicam ab insidiis defenderet, simulavit. At Coriuthii eum laudaverunt quidem, sed portum intrare non passi sunt. Eam ob causam Chares re infecta classem reducere coactus est; atque etiam milites Athenienses Corintho redierunt.

§ 4.

Chares Corcyram navigat a. CCCLXI a. C. n.

(Diodor. XV, 95. Acneas T. 11, 7. Demosthenes c. Timocratem 202 de corona 234. Isocrates de permutatione 108. — Schaefer I. p. 116 sqq. 133. Grote V p. 603. Rehdantz p. 202. 203.

Proximis annis Charetem exercitui praepositum fuisse scriptores antiqui non tradiderunt. Atheniensibus tum etiam clariores duces erant, Iphicrates, Chabrias, Timotheus. Iphicrates et Timotheus in Thracia pugnaverunt, praecipue Timotheus potentiam urbis auxit. Quum Athenienses a. CCCLXII a. C. n. in magnas angustias ducti essent Byzantiis iam antea ab Epaminonda, qui Thebanis maritimam gloriam parare vellet, in socios Atticos incitatis tum Athenienses naves frummentarias e Propontide navigantes arripientibus Chalcedoniis, Cyzicenis adiutoribus Chares copias non duxit; quam ob causam eum ad maiores res gerendas non satis belli peritum Athenis habitum esse puto.

Neque vero contra Alexandrum Pheraeum, qui Cycladibus insulis amicis arma intulerat et Peparethum mercenariis transiectis in ditionem suam redigere volebat, Chareti bellum decretum est traditum, sed Leostheni. Quo mirabilius est, quod ille, quum hic rebus suorum civium neglectis revocatus et capitis damnatus esset, subito aptus habitus est, qui Alexandrum ulcisceretur, quamvis alii belli peritissimi duces essent. Tum autem

---

possent reliquisse videtur. Nam Athenienses copias, antequam ille a. CCCLXVI a. C. n. Phliasiis auxilio venisset, in Corinthiis finibus fuisse intelligi non potest; quod si fuisset, Athenienses Phliasios ab hostibus oppressos iuvasse verisimile est.

Callistratum, qui usque ad illud tempus plurimum Athenis potuisset, capitis damnatum, quod rebus Atheniensibus obfuisset, Aristophonte auctore fugisse scimus. Atheniensem autem rempublicam liberam semper unum maximam auctoritatem habentem non iure, attamen facto rexisse constat, atque etiam post Callistratum Aristophontem oratorem omnia sua voluntate fecisse scriptores narraverunt.

Quae quum ita fuerint, ille, ut Chares locum Leosthenis obtineret, effecisse putari potest. Charetem enim Aristophonti amicum insequentibus annis iam illo tempore eius partes secutum esse verisimile est.[1])

Chares autem Alexandrum vitans[2]) Corcyram amicorum incolarum vexandorum causa navigavit. Quamvis ei in bello contra Alexandrum Pheraeum daretur occasio novarum victoriarum, tamen hanc expeditionem, qua suis commodis prodesse non posset, neglexit et mercenarios in Corcyram insulam, Atheniensibus sociam, ubi discordia exorta esset inter optimates et plebem imperium habentem, duxit ad adiuvandos eos, qui pecunias offerrent.

Chares corruptus[3]) plebe castigata divitibus imperium dedit.[4]) Quo factum est, ut hi postea Corcyram tenentes ab Athenienvibus deficerent atque ita eos optimo praesidio in Jonico mari privarent.

---

[1]) Assentior opinioni historici Thirlwall (history of Greece vol. V. 204): Leosthenes was charged with collusion and sentenced to death perhaps trough the intrigues of Chares who was appointed in his room. Eaudem sententiam Schaefer (I, 118) habere videtur.

[2]) Rehdantz (p. 203) recte dicit: „contra quem (Alexandrum Pheraeum) Chares missus hostes quidem, ut solebat, verebatur, socios male habebat."

[3]) Fortasse Chares etiam eo motus est, quod mercedem non habuit Mercenariorum exercitum eius fuisse verisimile est. Semper igitur, nisi cives lectos esse accurate dicitur, Charetem mercenarios duxisse sentiendum est. De avaritia illius et de mercede ab Atheniensibus non soluta loco magis idoneo dicam.

[4]) Diodorus solus narrat Charetem illo anno in aliis rebus Athenarum utilitati obfuisse.

§ 5.

Chares cum Phocione et Charidemo ad Lesbum insulam navigat a. CCCLX a. C. n.

Aristophontem, qui auctoritatem suam etiam maiorem facere vellet, ut quam plurimos sibi faventes suamque partem sequentes pararet, operam dedisse verisimile est, Propterea illo suadente Charetem iterum iterumque in numero decem ducum Atheniensium creatum esse puto. Insequenti enim tempore Charetem saepe copiis urbis praefuisse scimus neque ei extra or inem[1]) Athenienses res gerendas tradidisse scriptores accurate dixerunt. Praecipue gratum Aristophonti esse potuit, quod cum uno ex decem ducibus necessitate coniunctus erat, Charetem autem, quem aliis libenter niti, quum se dignitate sua, ut auctoritate magna floreret, nunquam efficere posse intellexisset, iam fortasse tum notum erat, omnibus antetulit. Illum igitur medio anno CCCLX. a. C. (i. e. sub finem quarti anni Olympiadis CIV. vel sub initium primi anni Olympiadis CV.[2]) simul cum Phocione et Charidemo[3]) Oronti satrapi a rege Persarum deficienti auxilio missum invenimus. Ad Lesbum[4]) insulam classem Atheniensem vectam esse ad pecunias a sociis exigendas docemur[5]). Phocionem quidem duobus pugnis cum Athenodoro, copiarum Persarum duce, conflixisse scimus, Charetem autem pugnasse non dicitur.

---

[1]) Quod nos sentire nullus locus cogit. Etiam id „*ἑλόμενοι δὲ στρατηγὸν Χάρητα καὶ ναυτικὴν δύναμιν δόντες ἐξέπεμψαν* (Diod. XV, 95) facile ita explicari potest, ut Athenienses ad bellum contra Alexandrum Pheraeum gerendum mitterent pro Leosthene Charetem unum in collegio decem ducum.

[2]) Vide inscriptionem editam a Franzio (Bulletino dell' Instituto di corr. arch. Dec. 1835 p. 213) allatam apud Rehdantz 158. Cfr. Schaefer I. p. 137 adn: „Die Zeit dieser Inschrift erhellt aus dem Zusammenhange dieser Begebenheit namentlich aus Charidemus Uebergang nach Thrakien;“ annales acad. litter. Berol. 1853 partis alterae p. 134. Boehnecke quaestiones de orat. Atticis p. 725. Illam expeditionem in medio anno CCCLX. ponendam esse in inscriptione ipsa (v. 8) intelligitur („*ἐν Θαργηλιῶνι.*“)

[3]) Charidemus mercenariorum modo dux militiam Atheniensium capessivit. Tum ducis Atheniensis munere eum, qui Atheniensis civis non esset, functum esse nego.

[4]) Cfr. v XII. inscriptionis illius (Rehdantz p. 159).

[5]) Cfr. Schaefer I p. 136.

§ 6.

Ut Chersonesus Thracia a Chersoblepte Atheniensibus tradatur, Chares efficit a. CCCLVII a. C. n.

(Diod. XVI, 7, 34. Demosthenes Ol. I, 8. c. Aristocr. 170. 172. 173. 178. 181. — Schaefer I. p. 138—142. cfr. adn. 1. — I p. 143 cfr. adn. 1. — I p. 144. cfr. adn. 1, 2, 3. — Grote V p. 611. cfr. n. 159. — V p. 612 cfr. adn. 160. Rehdantz p. 147.)

Proximis annis Charetem expeditioni praefectum fuisse non est narratum, sive res militares Athenis administravit, sive in collegio decem ducum non fuit. Quarto autem anno Olympiadis CV. illum inter duces fuisse inscriptione (cfr. Schaefer I p. 138—142) nobis traditum est. Ex hac inscriptione Athenienses contra Thebanos intervenientes discordiae civitatum Euboearum progressos esse certum habemus neque vero Charetem tum exercitui praefuisse. In illa inscriptione commemoratum est foedus, quo societas cum Euboeae insulae civitatibus ronovata esse dicitur. Illud foedus paulo post bellum in Euboea ab Atheniensibus contra Thebanos gestum ictum esse sentiendum est. Brevi autem tempore Athenienses Boeotios ex insula eiecerunt. Coacti igitur sumus illam expeditionem, quam Diodorus sub Ol. CV. anno tertio (i. e. pars altera anni CCCLVIII a. C. n. et pars prior anni CCCLVII a. C. n.) narrat, in parte priore anni CCCLVII a. C. n. ponere. Quo tempore illae res gestae sint, statuere necessarium est, ut, quando Chares res Cherronenses ad finem Alheniensibus prosperam duxerit, dici possit. Iam Cotys, Thraciae rex, operam dederat, ut Athenienses incolas e Cherroneso Thracia expelleret, et plurimas urbes Atheniensium expugnaverat.

Neque vero minus filius illius occisi Chersobleptes, ut Cherroneso potiretur, studebat. Frustra Athenienses Cephisodotum, frustra Athenodorum, frustra Chabriam contra eum miserant. Athenodorus quidem foedus Atheniensibus commodum stipulatus est, sed, quum mercenarios suos inopia mercedis coactus dimittere debuisset, illud conficere non potuit. Neque quidquam Chabrias solus sine exercitu missus effecit. Chersobleptem praecipue Charidemus cum mercenariis suis adiuvabat. Paulo igitur ante aut inter auxilium in Euboeam missum populi

iussu[1]) decem legati in Cherronesum missi sunt, qui Chersobleptem foedus cum Athenodoro icto iureiurando confirmare cogerent; quod si facere nollet, idem iusiurandum ab Amadoco et Berisade, qui Cherosobleptem imperio Thraciae privare conarentur, acciperent. Illo enim foedere erat constitutum, ut Cotyis imperium inter Chersobleptem, Amadocum Berisademque divideretur, Atheniensibus eae regiones, quas ibi possessissent, redderentur.[2]) Legati nihil effecisse videntur.[3]) Quam ob rem Athenienses Charetem medio fere anno CCCLVII a. C. n. mercenariis praefecerunt, ut res in Cherroneso gereret.[4]) Res Chares prospere gessit necessariis rebus bene exornatus. Chersobleptes cum Charete praesentibus Athenodoro et Berisade et Amadoco foedus icit. Ex eo, quod Demosthenes illud optimum et iustissimum appellat atque Athenodorus adfuit, Charetem idem, quod Athenodorum, stipulatum esse Atheniensibusque Cherronesum Thraciam praeter Cardiam redditam esse[5]) apparere videtur. Diodorus quidem Chersobleptem Atheniensibus Cherronesum quarto anno Ol. CVI. tradidisse dicit.[6]) Neque vero traditionem illius insulae bis per Chersobleptem factam noscimus, Diodorum igitur eandem traditionem, quam

---

[1]) Dem. c. Aristocr. 172.

[2]) Dem. c. Aristocr. 170.

[3]) Hoc enim modo explico Demosthenis (c. Aristocr. 173) verba: *τριβόντων τούτων* (legati) *καὶ οὐδὲν ἁπλοῦν οὐδὲ δίκαιον ὑμῖν ἐθελόντων πρᾶξαι ἐθέλειν* praecipue in negationibus non solum velle, sed etiam posse significat.

[4]) *στρατηγὸς αὐτοκράτωρ* Chares missus esse a Demosthene (c. Aristocr. 173) dicitur.

[5]) Charetem iam tum, ut Amphipolim auxilia ducens navigaret, iussum esse nusquam narratur. Demosthenes (Ol. I, 18) paulo post expeditionem Euboeam Hieracem et Stratoclem Amphipolitanos legatos, ut auxilium Atheniensium contra Philippum, Macedonum regem, impetrarent, Athenis fuisse, id modo dicit.

[6]) Dem. c. Aristocr. 181. Diod. XVI, 34. Diodoro auctore Cherronesus Sesto capto tradita est. Ego cum Grote (vol. V. p. 612. n. 160), quum Cherronesus redderetur, etiam Sestum traditam esse et paulo post, fortasse tempore belli socialis, ab Atheniensibus defecisse dico; quam ob rem ea urbs capta (Diod. XVI, 34) tam severe tractata esse videtur (v. infra).

[7]) Brueckner: de Philippo rege civitatibusque Graecis p. 42. Quam Thirlwall (V p. 229) *εγχειρίσαντος* participii causa Diodorum ipsum tempus posterius sentire domonstrare velit, non intelligo.

Demosthenem sentire verisimile est. Demosthenes autem expeditiones Euboeam Cherronensemque simul adferens de tempore, quo illas res factas esse puto, dicere videtur.

Illam expeditionem Euboeam tempore belli Olynthii factam esse negari potest iam propter id, quod oratio contra Aristocratem, in qua illa res iterum iterumque commemorabatur, primo anno Ol. CVII. habita est, ante igitur bellum pro Olynthiis gestum. Atque etiam inscriptio, qua supra usus sum, tempus rerum illarum Euboearum nos docet. Sin vero illud novimus, non minus, quo tempore Chares in Cherronnesum milites duxerit[1]), scimus. Quae quum ita sint, Diodorum errare putare possumus.

Cap. II.

Chares in bello sociali.

§ 1.

Chares destinatur ad Amphipolitas contra Philippum, Macedonum regem, adiuvandos copiis Atheniensibus. CCCLVII. a. C. n.

(Argum. Isocr. de pace. Demosth. Ol. I. 8 II. 6. c. Aristocr. 116. De Halonn. 27. Aesch. de fals. leg. 70 cfr. Schol. (Mueller: oratores Attici vol. II. 504). Corn. Nepos: Timoth. 3. Theopomp. Philipp. III. frg. 47 (Mueller fragmenta historicorum graecorum vol. I p. 285) — XXXI. 189 (Mueller frg. hist. gr. vol. I. p 310.) Schaefer I. 144. 145. II. 20. Rehdantz p. 204 sqq. Grote VI. 188.)

Atque etiam Ol. CV. III., extrema altera parte anni CCCLVII. a. C. n. paulo ante bellum sociale exortum Chares, mea sententia e Cherronneso, Amphipolim missus est. Iam supra commemoravi paulo post bellum in Euboea insula ab Atheniensibus contra Thebanos gestum Hieracem

---

[1]) Thirlwall (V. 229) dicit: Chares „was rewarded with a crown of honour as a public benefactor“ propter res Athenienses in Cherronneso prospere gestas. Errare autem mihi videtur. Illud enim praemium Chares, quum exitu belli socialis Artabazo satrapi contra regem Persarum auxilio venisset et Persis victis populo Atheniensi dona misisset, accepit. (v. infra).

et Stratoclem, legatos Amphipolitanos, Athenis fuisse[1]), ut auxilia contra Philippum, quum Amphipolim occupaturus esset, assequerentur pro suis civibus, qui suam urbem Atheniensibus tradi, quam sub illius regis ditionem venire mallent. Athenienses, quorum semper multum interesset, ut Amphipolim possiderent, tum occassionem illius urbis occupandae neglexisse negare possumus, atque Charetem, ut Amphipolitanis auxilio veniret, iussum esse scimus. Neque vero dux Atheniensis contra Macedonum regem illo tempore pugnasse constat. Auctor quidem argumenti ad Isocratis orationem de pace Charetem ad expugnandam Amphipolim missum, sed illam capi facilè posse putantem, ut Atheniensibus priorem potentiam restitueret, contra Chios, Rhodios ceterosque socios se vertisse, illos defecisse, hoc autem modo bellum exstitisse narrat. Sed Theopompus res aliter exponit; dicit enim Athenienses ad Philippum imperium Macedoniae modo assecutum misisse legatos, qui de foedere agerent atque efficerent, ut rex Athenienses Amphipolim oppugnantes adiuvare vellet, Pydnam sociam promittentes; legatos reduces secrete senatui retulisse. Quibuscum ea, quae Demosthenes de epistola a Macedone Amphipolim obsidente ad Athenienses scripta dicit, cohaerent; nam illa se Amphipolim Atheniensibus capere Philippus affirmat[2]). Ita res se habuisse videntur. Athenienses primum Amphipolitanos, qui urbem terramque suam sibi obtulissent, in ditionem accipere consilium ceperunt; quam ob rem Charetem, ut Philippum ab Amphipoli expugnanda arceret, miserunt[3]). Interea autem socii Atheniensium in dies turbulentiores facti erant. Athenienses, ne societas, qua mari imperarent, dissolveretur, timere debebant. Tanto igitur periculo

---

[1]) Grote (VI. 187) incertum esse, num, quum legati Amphipolitani Athenis adessent, bellum sociale iam coeperit, recte dicit.

[2]) Dem. Ol. II, 6. Cfr. Suidas ad Theopompi Phil. XXXI. (Mueller Frgm. hist. graec. vol I p. 310); Suidas pactum secretum propter Amphipolim Atheniensium et Philippi commemorat.

[3]) Rehdantz p. 205: „nec satisapertum, utrum Amphipoli adhuc libera et Atheniensibus inimica Chares ad subigendam urbem, ut auct. arg. ad Jsoc. or. de pace affirmat et ex Aeschine colligi potest, Chares proficisci iussus sit, an contra Philippum (cf. Nep. Tim. III.) sive inferentem Amphipolitanis bellum sive urbe potitum.“

imminente iis, ut vires suas paratas haberent, curae erat. Quae quum ita essent, facile decepti Philippum Amphipolim sibi ipsis expugnare atque Charetem socios observare posse putabant.

§ 2.

Bellum sociale, quam diu gestum et quibus causis commotum sit, docetur.

Quando bellum sociale exortum et quam diu gestum sit, duae inter se discrepantes narrationes sunt. Nam Diodorus[1]) initium belli Cephisodoto archonte, tertio igitur anno Ol. CV., exitum Elpinice archonte primo anno Ol. CVI. fuisse et per tres annos pugnatum esse tradidit. At Dionysius Halicarnasseus[2]) bellum contra socios Agathocle et Elpinice archontibus, per qnartum igitur annum Ol. CV. et per primum annum Ol. CVI. gestum esse scripsit. Nulla autem causa est, cur initium belli socialis in exeunte anno tertio Ol. CV. i. e, in vere anni CCCLVII a. C. n. non ponamus. Sed pugnae ante quartum annum Ol. CV. non sunt commissae; quam obrem Dionysium initium belli fuisse illo tempore narrasse satis apparet. Diodorus tradens bellum *τρία ἔτη* gestum esse non per tres omnes annos, sed tribus archontibus inter Athenienses et socios eorum pugnatum esse dixisse mihi videtur.

De causis, e quibus bellum, quod sociale vacatur, motum sit, copiosius disserere alienum hoc loco esse mihi videtur. Solum autem malum modum, quo Chares adversus socios se gereret, non effecisse, ut illi deficerent

---

Ego vero Charetem contra Philippum missum esse arbitror Namque Aeschines (de fals. leg. 70). dicit: *τὴν μὲν γὰρ ἀρχὴν ἐποιησάμεθα τοῦ πολέμου ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως* i. e. ad Amphipolin defendendam; argumento quidem ad Isocr. orat. de pace „*πεμφθεὶς ὁ Χάρης καταδουλεύσασθαι τὴν Ἀμφίπολιν αὐτονομουμένην κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον*“ etc. traditur; a Theopompo autem (Phil. 3 v. supra) et a Demosthene. (Ol. I, 8) Amphipolitanos ipsos in ditionem Atheniensium se dare voluisse docemur.

[1]) Diod. XVI, 7.

[2]) Dionys. Halic. Lys. c. 12 (ed. Reiske vol V. p. 480).

ab Atheniensium societate, atque auctorem argumenti ad Isocr. de pace errasse commemorasse satis habeo. Satis accurate Rehdantz (p. 204) dicit: „Fractis Lacedaemoniorum viribus, contra quos ut communiter se defenderent, foedus a 378 a. C. conciliatum erat, cum non amplius foedere opus esset, singulae civitates graviter onera ferre et se disiungere coeperunt, Athenienses eas nolentes in societate retinere studebant. Chios, Byzantios, Rhodios supra docuimus ab Epaminonda (c. a. $3^{64}/_{63}$) adductos esse, ut in Thebanorum seu societatem sive amicitiam se conferrent. Accedit, quod Athenienses eas iam non in sociorum numero sed subditorum habere coeperunt. Longum est enumerare omnia, quae huius aetatis oratores, praecipue Isocrates civibus exprobrant. Hic (de pace 29) „Nos enim, inquit, si per mare navigamus multis triremibus et civitates tributa conferre coguntur (cf. Aeschines de f. l. 71, Boeckh oec. I 452) et assessores (συνέδρους) huc mittere, fecisse nos arbitramur eorum quidquam, quae debeamus et quae deceat facere — inimicitiae vero inde nobis et bella et impensae oriuntur. § 36 corrupti vestri oratores (cf. Isoc. Panath. 13 141), ne eludi nos sinamus, conclamant neve mare navigari patiamur ab iis, qui tributa nobis conferre noluerunt. Qui tributa a sociis exigebant, legati (ἀπόστολοι) nominati, ita se gerebant, ut hostium loco a sociis haberentur (Plut. Phoc 11 cf. 7) nec quidquam iis magis timeretur (Dem. Phil. I. 45, Aesch. de f. l. 71). Neque a singulis Atheniensibus trierarchis ac ducibus tutiores quam a legatis erant (or. de cor. nav. 23, c. Androt. 65, c. Timocr. 172). „Ne praesidiis (φρουραῖς) socios in fide tenete, sed eo, quod omnibus conducit pariter, neve patiamini, quod duces peregrinis militibus praefecti ne visis quidem hostibus socios diripiunt vastantque.“ („ Dem. π. συντ. 6). Ducibus id tamen, quum a civibus nihil accepissent et coacti essent undique pecuniam colligere (Dem. in Aristocr. 61, Phil. I 25, de r. Chers. 24) minus quam civibus exprobrandum, qui dominari quidem voluerunt, sed neque ipsi dimicare nec pecuniam ad alendos mercenarios conferre (Isoc. de pace 43, Areopag. 82; Dem. de r. Chers. 21, 22, π. συντ. 6) . . . . . Ac neglecta pactionis fide imperium exiguarum insularum, ut superiori tempore — Athenienses arrogavisse sibi

videntur . . . . Sortitiones agrorum in Samo insula factae sunt; Athenienses etiam lites sociorum suae iuris dictioni subiunxisse, Boeckhii sententia est (oec I. p. 425 . . . . .). „Atque etiam Schäfer eadem fere, quae Rehdantz dicit[1]).

Intelligitur Afhenienses conditiones, quibus novum foedus iniissent, iam diu non servasse atque id socios in dies aegrius tulisse. Quae re Mausolus, cariae dominus, usus est, ut illos ad bellum contra Athenas movendum irritaret. Multum enim eius intererat, ut Atheniensium imperium minueretur, quo ipsius auctoritas augeretur. Quid effecerit, res nunc exponendae doceant. Motus igitur sociorum iam maiores fuisse videntur, quam ob rem Athenienses Charetem, quem contra Philippum, Macedonum regem, exercitum ducere necesse esse iam non putarent, ad socios observandos miserunt. Charetem vero, quem urbes Atheniensibus amicae semper timerent, praecipue tum sociis tamquam hostibus usum esse verisimile est; qua re illi moti arma contra Athenienses ceperunt.

Hactenus modo Chares causam fecit, cur bellum Atheniensibus tam periculosum oriretur, atque argumento illi assentiri non possum.[2])

§ 3.

Chares Chium capere conatur CCCLVII a. C.

(Diod. XVI, 7. Nep. Chabr. 4. Plutarch. Phoc. 6. Demosth c. Lept. 81—83. — Schaefer I, 148. Grote VI. 179. Rehdantz p. 207. Thirwall V, 232.)

Potentissimi eorum sociorum, qui ab Atheniensibus desciverant, Chii, Rhodii, Coi, Byzantii a Diodoro nominantur, qnorum vires coniunctas cum Mausolo Athenien-

---

[1]) Schaefer vol. I. p. 145.

[2]) Auctor argumenti ad Isocr. de pace narrat: Missus Chares, ut Amphipolin liberam hoc tempore suoque iure fruentem Lacedaemoniorum rebus post pugnam ad Leuctra commissam malis et Atheniensium invalidis in potestatem redigeret, hic facile se urbem illam capere posse existimans atque in pristinam auctoritatem Athenienses ducere volens adortus est Chios et Rhodios et ceteros socios. Deinde illi se surrexerunt, atque Chares ita superatus est, ut ne-

sibus pares fuisse existimo, praesertim quum tum illos ad bella gerenda minime paratos fuisse sciamus. Neque enim res necessarias ad naves exornandas, quum debitae non redditae essent, habuerunt neque in Piraeo carbasa neque rudentes neque stuppam, quae omnia ibi non erant in promptu, vendere potuerunt; consilia populi capta sunt, ut armamenta navium exigerentur et urbi conservarentur[1]). Athenienses qui summa contentione operam navabant, ut socios illos superarent, Charetem sexaginta navibus praeposuerunt. Ille dux classem duxit Chium, focum, ut ita dicam, motus, quo Byzantii quoque et Rhodii et Coi et Mausolus auxilia miserant. Chares ipse copiis pedestribus imperans Chium urbem obsidere coepit, classem in portum ab hostibus defensum intrare conari iussit. Chares igitur adversarios erumpentes reiecit, naves in classem hostium ingressum impedientem impetum fecerunt Chabriae[2]) trierarchi navi prima aggre-

---

sciret, quid faceret. Namque illi, si Chares bellum contra eos gerendum negligens Amphipolim profectus esset se defendentes usque ad Atticam progressi essent. Quae quum audivissent Athenienses foedus petiverunt, et statim Chii et Rhodii cum ceteris parati fuerunt. — Thirwall (history of Greece vol. I. p. 229): „An ancient writer,“ inquit, „though one of very doubtful authority (the anonymous author of the argument prefixed to Isocrates on the Peace) ascribes the origin of the war to his (Charetis) misconduct.“ Quod argumenti autoritatem attinet, addit: „There are perhaps some fragments of historical truth in this statement; but it is difficult to extract and put them thogeter. It seems clear, that the author has confounded dates and had altogether but a very cônfused idea of the history of the war.“

[1]) Dem. c. Euerg et Mnesib. 20. Cfr. Boekh (Urkunden über das Seewesen des attischen Staates p. 203): „Wer vom Staate Geräthe erhalten, musste es diesem oder seinem Nachfolger wieder abliefern. . . . . . . Die Ablieferung erfolgte aber häufig nicht entweder, weil das Geräth schadhaft geworden, oder weil der Trierarch es sonst verwandt hatte, oder für sich noch gebrauchen wollte: Daher die grosse Anzahl von Schuldnern (des Staates) und die fast fortwährende Nothwendigkeit, das Geräth oder an dessen Statt seinen Werth einzufordern. Zuweilen bedurfte es besonderer durchgreifender Massregeln.“

[2]) Ille est Chabrias, notus dux. Grote et Thirlwall assentiuntur Diodoro Chabriam collegam Charetis fuisse scribenti. Ego

diente Triremis autem eius rostris hostilibus vehementer impingentibus perfracta est. Qua re aliae naves (integrae) revectae sunt[2]. At Chabrias gloriosam mortem fugae praeferens fortiter pugnans occisus est. Qua clade motus Chares copias pedestres naves conscendere iussit; atque eum proximo tempore socios adortum esse traditum non habemus.

§ 4.

Chares ad Embata ab sociis inimicis vincitur a. CCCLVI. a. C. n.

(Diod. XVI, 21 und 22. Nep. Timoth. 3. Isocrates de permutatione 63.)

Socii inimici, qui, quum Athenienses ad Chium nihil effecissent, etiam maiorem animum cepissent, insulas

---

simul cum Schaefero et Rehdantzio Cornelium Nepotem sequor causis a Rehdantzio allatis. Ille quidem dicit: „e quibus locis (Quae Demosthenes et Plutarchus narrant, supra commemorat) quo munere in hoc proelio Chabrias functus sit, non apparet. Neque enim Diodoro alia Nepote docente fidem habeo Chabriam tum copiis [navalibus] praefuisse. Quem sciebat Diodorus in hac pugna adfuisse, sed, ut ipsius memoria summum inter imperatores et gregarios milites discrimen erat, ita Chabriam vix ei in mentem venit etiam numero potuisse gregariorum adscriptum fuisse, ac leviter, ut solet, eum, qui saepenumero exercitus duxerat, etiam tum praefectum esse copiis finxit. Nec Chabriae magna fuit hoc tempore auctoritas; cuius neque δόξαν nec patronos reveriti cives foedus paulo antea cum Charidemo initum improbaverant.“ Quod Rehdantz Chabriam gregarium militem fuisse sentire videtur, non assentior; trierarchum Chabriam fuisse arbitror; nam duxit navem, in qua erat. Cfr. C. Nepos (Chabrias 4): „nam dum primus studet portum intrare et gubernatorem iubet eo dirigere navem, ipsi sibi perniciei fuit.

[2]) Athenienses naves propter Chabriae cladem deterritas esse auctoritate eius facile fieri potuit. Cfr. C. Nepos (Chabr. 4): „erat in classe Chabrias privatns, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat, eumque magis milites, quam qui praeeant, adspiciebant!“ Trierarchus autem Chabrias fuisse potest. Nam si Corn. Nepos privatum eum appellat, illum munere ducis militum functum non esse, id modo affirmat.

Lemnum Imbrumque vastaverunt et Samum[1]) obsederunt Charete non interveniente. Post cladem ante Chium acceptam se solum hostes superare non posse illum putasse existimo. Quamvis autem Chares bellum sibi traditum conficere non posset, tamen non est revocatus ab populo Atheniensi, qui celerrime res sibi ignotas diiudicare soleret. Quod demonstrat Charetis amicos tum Athenis plurimum valuisse. Quacum parte ille se coniunxisset, iam supra commemoravi. Aristophontem sequebatur. At Aristophon[2]). Charetem, quem, quum esset ambitiosus, sed suo ingenio magnam auctoritatem assequi non posset, sibi se oppositurum non esse speraret, sibi obligaverat; quum autem pacem bello meliorem, si pace potestas et auctoritas Atheniensium minui posset, nünquam haberet, etiam ab eo, ut maiore vi illo tempore res gererentur, factum est. Alias sexaginta naves Timotheo et Iphicrate et Menestheo ducibus[3]) cum classe Charetis — ubi Chares tum fuerit, nescimus — coniunctae sunt, ut centum et viginti fere naves ad socios superandos exornatae essent a. CCCLVI. a. C. n[4]). Sociis autem centum naves tum erant. Samum obsidebant. Atheniensibus vero quam Samum liberare, Byzantium capere et urbes inimicas ad Hellespontum sitas in potestatem redigere gravius videbatur, ut in Bosporo et in Hellesponto, per quas angustias naves e Bosporo regno Athenas frumentum apportantes et mercatores Athenienses in

---

[1]) Corn. Nepos Samum inter insulas inimicas fuisse narrans erravit. Immo Diodorum, qui illam insulam ab inimicis sociis obsessam esse scripsit, sequi possumus. Grote (VI, 181 n. 64) Athenienses Samum post bellum contra socios gestum possessisse dicit.

[2]) Schaefer. I. p. 164.

[3]) Illos omnes tres duces fuisse neque (Corn. Nepote (Timoth. 3.) auctore) Iphicratem et Timotheum consiliatores modo Menesthei iam ex eo apparet, quod tres omnes a Charete post pugnam ad Embata commissam muneris neglecti accusati sunt. Cfr. Isocr. de permut. 129.

[4]) Diodorus illud factum esse Elpinice archonte (i. e. Ol. CVI, I. — a. CCCL $\frac{VI}{V}$ a. C. n.) narrat; altera parte huius anni Ol. CVI. Charetem Artabazo auxilio venisse et bellum sociale finitum esse; altera igitur parte anni CCCLVI a. C n. coniunctis navibus Charetem et Iphicratem, Timotheum, Menestheum contra socios navigasse arbitror.

litoribus Ponti Euxini mercaturam exercentes ferrentur, imperare possent[1]). Socii autem Samum relinquentes duces Atheniensium, ne hostes imperio Hellesponti et Bospori potirentur, secuti sunt, Athenienses, quibus numero navium maioribus discrimen pugnae navalis non timendum, sed una victoria bellum confici posse sperandum esset, hostem ad Embata[2]) manserunt. a. CCCLVI a. C. n. Tem-

---

[1]) Ut Grote (VI, 180), Diodoro fidem habeo. Scimus enim Byzantios Atheniensibus inimicos fuisse et Nepos (v. supra) dicit: „descierat Hellespontus". Facile igitur naves Athenienses, quominus per Bosporumet Hellespontum navigarent, impediri potuerunt, qua re mercatura, quam Athenienses cum iis, qui ad litora Ponti Euxini erant, exercebant, in periculo erat. Quantum Atheniensium interesset, ut frumentum e Bosporo apportari posset, Demothenes (c. Lept 31) satis docuit. Quam grave praesertim ineunte bello sociali frumentum e Bosporo regno advectum Athenas esset, Demosthenes in eadem oratione (33) beneficia Leuconis Atheniensibus reddita memorans tradidit: „*καὶ τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ* . . . . *ἀλλὰ προπρ ένσι σιτοδείας παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις γενομένης οὐ μόνον ὑμῖν ἱκανὸν σῖτον ἀπέστειλεν* . . . . Oratio illa Ol. CVI, II. habita est. Frumentum igitur Leucon Ol. CV, IV. Atheniensibus misit. Cfr. Grote 17, 180 n. 63 Schaefer I p. 376 n. 8 et p. 239. Rehdantz p 213. 214. – Schaeferi narrationi (I, 149) assentiri non possum. Ille dicit: „Ihre Annäherung (classis Atheniensis) reichte hin, das belagerte Samos zu entsetzen: Dann wandten sich die Athener nach Norden in der Absicht durch den Hellespont zu fahren und Byzanz anzugreifen." Dubito, quin socii inimici, si classem Atheniensium appropinquare vidissent, Samum obsidere statim destitissent. Classem enim sociorum viginti modo navibus minorem, quam Atheniensium, eorumque animum rebus postremo gestis auctum fuisse scimus. Schaefer Diodoro se opponens (I. 149 n. 1) „Unmöglich," ait, „durften die vereinigten Geschwader Samos und den ganzen Archipel der Streitmacht der Bundesgenossen preisgeben, um in der Ferne eine Belagerung anzufangen, deren Erfolg sehr ungewiss war; konnten sie doch nicht einmal voraussetzen, ob die Bundesgenossen von Samos sich wegwenden würden." Quantum Atheniensium interesse deberet, ut Byzantium et Hellespontus caperetur, iam supra demonstravi. Deinde spes Samum liberatum iri ab adversariis obsidentibus non firmior fuisse potuit, quam Byzantium expugnatum iri, praesertim, quum pars copiarum Byzantiorum cum sociis esset coniuncta. Tum Athenienses socios a Samo avocare ne voluisse quidem, sed illi, quum, quam magnum esset imperium angustiarum Thraciarum, intelligerent, ipsi illa insula relicta in Septentrionem vecti esse mihi videntur.

[2]) Thucydides (III, 29) Embatum in finibus Erythraeae ad angustias, quae Asiam minorem et Chium insulam dirimunt, situm memorat. Stephanus Byzant. s. v. *Ἔμβατον* locum Embatum ap-

pestate repentine orta duces Athenienses pugnam navalem vitandam esse putaverunt. Chares solus pugnare voluit. In hostes a collegis non adiutus impetum fecit; sed victus est.

Literis Athenas missis ceteros imperatores accusavit proditionis eosque una cum Aristophonte, qui tum plurimum valebat Athenis idemque ac Chares inimicissimus erat illorum, reos fecit. Fortasse Chares invidia inductus erat virorum, qui sua ipsorum vi freti auctoritatem ac dignitatem sibi compararent. Nec Aristophon eos probabat quum metueret, ne sua ipsius potentia Athenis ab iis minueretur. Nempe Chares Timotheo irasci debebat, quod hic in publico de eo magno cum conteptu indicabat. [1])

§ 5.

Chares Artabazum contra regem Persarum adiuvat. a. CCCLV a. C. n. Belli socialis exitus.

Molestiam cladis Atheniensium Chares a se amoverat. Ad bellum contra socios continuandum collegis eius a munere

---

pellatum itidem fuisse dicit. Equidem locum pugnae in Hellesponto fuisse puto. Mea sententia confirmari videtur inscriptione, quam Sauppe affert (Göttinger Nachrichten 1867 p. 151), in qua narratur Philiscus, Sestus quidam, bene se meruisse de populo Atheniensium *μηνύσας το. . . . . — ον*. Sauppe supplet illum locum: *μηνύσας τὸν τῶν Βυζαντίων στόλον*. Neque minus suppleri posse mihi videtur *μηνύσας τόν συμμάχων στόλον*. Inscriptionem Ol. CVI, II scriptam esse Sauppe plane exposuit. Nihil igitur impedit, qnominus putemus Philiscum in bello sociali de Atheniensibus se meruisse. Res ita se habuisse videtur: Chares, Iphicrates, Timotheus, Menestheus, duces Athenienses, in Hellespontum navigaverunt et ad Embata naves appulerunt. Socios inimicos Samum relinquentes persecutos esse supra exposui. Philiscus, quum naves sociorum iam intrasse in Hellespontum vidisset, nuntiavit id ducibus Atheniensibus, ne socii in classem Atheniensem repentinum impetum facerent. Embata igitur in Hellesponto propius Propontidem sita fuisse videntur, quam Sestus; neque est pugnatum apud illum locum, de quo Thucydides et Stephanus Byz. loquuntur. Accedit ut Polyaenus *Ἔμβατα* scripserit.

[1]) Cfr Sch. ad Aesch. or c. Ctesiph. 64 (Hypereid c. Aristoph. fr. 44) Schol. ad Demost. Ol. II. 25. (Mueller orat. Att II. p. 546) cfr. Plut: Apophth. Iphicr.-Polyaen: III. 9. 29 III. 9. 15. Arist rhet: II, 23. III. 10. Nep. Iphicr. 3. Timoth. 3. Dionys. Hal: Lys. c. 12 (ed. Reiske, vol. V. p. 479 et 480. Dinarch c. 13 p. 667.

avocatis summum imperium omnium copiarum Atheniensium ei traditum est, id quod factum esse videtur auctoribus Aristophonte aliisque eius partis,[1]) quibus facile contigit, ut populo, qui maiore audacia raperetur, persuaderent, ut Chares esset magna arte imperatoria.

Chares vero non, ut erat exspectandum, omnibus copiis socios aggressus est, sedrem gessit, quae postea obfuit Atheniensibus. Stipendia ab Atheniensibus intermissa erant, mercenarii sine stipendio militare nolebant. Chareti igitur aut exercitus dimittendus erat et sociis cedendum — quod si fecisset, actum erat de eius auctoritate Athenis parta; nam factio Aristophontis (Isocr. de pace ed. Benseler 3 sqq.) cui multum interesset, ut bellum continuaretur, ei minime prospexisset — aut aliunde quaerenda erant, quae opus erant ad mercenarios sustentandos. Ad quam rem perficiendam duae viae ei erant apertae. Potuit socios adhuc Atheniensibus fidos cogere, ut pecunias et cibaria compararent; in quo timendum erat, ne hostes civitatis Atheniensis augerentur. Altera igitur ratione usus est, ut mercenariis sufficeret, et exeunte anno primo Ol. CVI. (priore parte anni CCCLV. a. C.) subiit munus militiae apud Artabazum Bithyniae satrapen,[2]) qui seditionem fecerat contra Persarum regem; eique se adiunxerunt mercenarii a satrapis Persicis dimissi.[3])

Quamvis haec res, qua bellum iusto longius duceretur, a bellum nolentibus Athenis improbari posset, tamen id Chareti minus timendum erat, quam si ab iis, qui bellum volebant, quibus nitebatur, relictus esset. Neque abest suspicio, quin de hac re Chares et Aristophon interse convenerint secreto. A populo certe Chares Artabazum

---

[1]) Cfr. de hac factione Isocr. de pace cfr. Schaefer I, 164.

[2]) De causis huius rei cf. Demosth. Phil. I, 24: Cf. Schol. ad Phil I., 19 (Mueller orat. Att. II, 557) Schol. ad Dem. Ol. III, 31. (Mueller O. a. II, 550) Dem. Ol. II, 28. Isocr Areop. 29. Theopomp. (Athen. XII p. 532 B) XIII. frg. 117 (Mueller frag. h. Graec. vol. I. p. 285. ss. Nep. Chabrias 3. Arrian. Tactic. I. 12. 1. cfr. Schaef. I, 150, 151 c. annot. I Grote VI. 184. Rehdantz p. 214, 215.

[3]) Schol. ad. Dem. Phil. I. 19 tradit.: mercenarios a satrapis dimissos ad Charetem venisse eumque ducem fecisse.

adiuvare iussus non erat. Verisimiliter etiam dux spe lucri magni pellectus erat. Demosthenes saltem eius mentionem facit, quum (Ol. II, 28) loquatur de imperatoribus, qui bella lucricausa quaerant. Chares victoriam reportavit — quo loco, non notum est — de copiis pedestribus magnis Persarum et de equitatu magno, cui praeerat Tithraustes. Chares Sigeum accepit ab Artabazo. Magna gloriatione se victoriam reportasse de Persis similem Marathoniae Athenas retulit[1]) et populo donavit boves ad convivia. Athenienses libenter reminiscebantur res magnas a maioribus gestas (Isocr. de pace 167) neque minus libenter accipiebant dona ad oblectationes et convivia. Ex hoc apparet, quam appetens aurae favoris popularis fuerit Chares, quum hominum iactationi assentaretur eorumque cupiditati voluptatum indulgeret, ut veniam impetraret rerum suo arbitrio gestarum. Ceterum illa victoria testimonio est Charetem non prorsus caruisse arte bellica.

Populus gratus ei coronam honoris decrevit. Artabazus operam proelii remuneratus est. Chares igitur facile mercenariis satisfacere potuit.

Athenienses per literas Chareti mandavernut, ut mercenarios a satrapis dimmissos, qui ei se adinuxissent, mercede conduceret. Tum Chares expugnavit sibi Lampsacum et Sigeum; quibus in urbibus morabatur, nisi bello occupatus erat. Quum verorex Persarum Athenis per legatos rationem posceret rerum a Charete gestarum, et fama divulgaretur eum navibus trecentis socios inimicos adiuvare velle, Athenienses pacem facere constituerunt. Quum etiam illi socii prompti essent, pax facile composita est. Per legatos invicem missos pacis conditiones iureiurando confirmataesunt, ex quibus socii contra Athenas surrecti liberi et sui iuris essent. Atheniensium mercatura et vectigalia perturbata erant, frustra magna pecunia in mercede mercenariorum consumpta erat. Harum rerum Chares imprimis et si non cum gloria particeps fuerat. Aeschines (de f. l. 70. 71. cfr. Schol. Mueller or. Att. II. p. 504) narrat Charetem hoc bello

---

[1]) Praeter Schol. ad Phil. I, 19 cfr. Plutarch Aratus 163.

septuaginta quinque urbes. Athenis coniunctas perdidisse, centum quinquaginta triremes accepisse nec reddidisse, mille quingenta talenta fustra consumpsisse. Neque hoc prorsus vanum esse videtur, etsi Aeschines proinimicitia Charetis rem auxisse in septuaginta quinque urbibus etiam locos parvos (cfr. Rehdantz p. 202) habens et in centum quinquaginta triremibus omnes omnino in bello adhibitis referens putandus est.

Pecunias illo tempore ad mercedem impensas etiam Isocrates (Areopag. ed Benseler 9. 10) plus quam mille talenta fuisse dicit. Expeditio in Chium irrita fuerat; Charetis vitio socii victoriam peperant ad Embata; nam certe ille non est excusandus, quod suo arbitrio, quamquam collegae hoc dissuaserant, impetum fecit. Nam etsi non audimus naves Charetis tempestate laesas esse, hoc tamen fieri potuit. Fortasse Chares speraverat se solum victoriam reportaturum esse et gloriam sibi paraturum, sin minus, ab aliis ducibusse adiutum iri. Denique Chares eo quod apud Artabazum stipendia meruerat, effecit, ut bellum sociale cum Atheniensium detrimento finiretur.

Recte est accusandus, quod avaritia et praemiis a satrape promissis inductus est; praeterea ad eam expeditionem motus esse videtur ab aliis, qui Athenis bellum cuperent. Dux esse voluit expeditionum Atheniensium neque tamen ausus est hanc conditionem servare aut tenere sine Aristophontis et aliorum adiumento; quae factio, quamvis bellum continuari vellet, ea, quae opus erant, comparare non potuit; hae fuerunt causae, cur Chares ita se gereret; certe opprobio ei dandum est, quod sua commoda rei publicae utilitati anteposuit. Quod Chares non est postulatus in judicium, hoc est argumento Aristophontem etiam tum satis valuisse, ut Charetem servaret, quamvis potentia pacis auctorum in dies cresceret.

§ 6.

Causa Charetis contra Iphicratem et Thimotheum et Menestheum agitur a. CCCLIV a. C. n. — Quo modo Chares favorem populi Atheniensis consecutus sit, exponitur. — Quaedam quaestiones de exercitibus mercenariorum habentur.

(Cfr. p 39. adn. 1. et Schaefer I, p. 153—157. Rehdantz 224—230. Grote VI, 181 et 182. Isocr. de permut. 129.)

Insequenti tempore de Charete audimus, quum causa eius et Aristophontis contra Iphicratem, Timotheum Menesteum acta est.

Cum Chares publice accusaret[1]) in judicio Athenis adesse debuit.[2]) Acta est haec causa Ol. CVI, III (CCCLIV a. C. n.[3]). Abest a nostra disputatione copiosius de hac causa disserere. Id solum exponendum est, quousque Chares huic causae implicitus fuerit. Notum igitur est Charetem ab Aristophonte, qui etiam in accusatoribus esset, adiutum esse. Cur hoc fieret, iam supra exposuimus[4]). Nec frustra Chares adiutus est. Iphicrates et Menestheus quidem liberati sunt. Timotheo vero multa centum talentorum imposita est.

Hoc factum est, quum Charetis culpa bellum sociale tam male finitum esset. Chareti ipsi poena non impo-

---

[1]) Polyaen III, 9, 29. Apparetetiâm ex Diodor.

[2]) Litem non statim post res ad Embata gestas fuisse iam ex eo intelligitur, quod Chares tum omnino Athenis non fuit, quum demum bello sociali finito eo veniret. Diodorus (cfr. supr.) non plane de re locutus est. Illo „*πολέμου περιεστῶτος*", (in Plut. apophth. Iphicr.) bellum sociale non est intelligendum.

[3]) Apud Dion. Hal. Lys. c. 12 (ed. Reiske V p. 480) quidem dicitur: *ἐν γὰρ τῷ συμμαχικῷ πολέμῳ τὴν εἰσαγγελίαν Ἰφικράτης ἠγώνισται καὶ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκε τῆς στρατηγίας.* Dionysius demonstrare vult Lysiam orationem pro Iphicrate non posse scripsisse. — Schaef. (I, 153. ann. 4) Dionysium tempus non tam accurate indicare voluisse recte putat. Equidem cum Rehdantz et Schaefer sequor alium locum (Dionys. Hal. Dinarch. c. 13 ed. Reiske V p. 667), ubi temporis diligenter ratio habita est: *εἴρηται γὰρ ἔτι τοῦ στρατηγοῦ Τιμοθέου ζῶντος κατὰ τὸν χρόνον τὸν τῆς μετὰ Μενεσθέως στρατηγίας, ἐφ' ᾗ τὰς εὐθύνας ὑποσχὼν ἑάλω. Τιμόθεος δὲ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκεν ἐπὶ Διοτίμου τοῦ μετὰ Καλλίστρατον, ὅτε καὶ*. . . . . . .

sita est, quamquam ea ipsa re quod Iphicrates liberatus erat, probatum erat illud, quod ille de Charete dixerat: ἡ γὰρ ὁδός μοι τῶν λόγων διὰ μέσων τῶν Χάρητι πεπραγμένων ἐστίν (Aristot. Rhet. III. 10). Unde igitur effectum est, ut Chares non puniretur, sed ut etiam Iphicrati et Timotheo duobus anteponeretur, ut ab Atheniensibus iam proximo tempore ad res gerendas adhiberetur? Sola Aristophontis auctoritas certe hoc non effecit, quum ea jam valde minuta esset. Notum est extremo bello sociali Eubulum, caput adversariorum Aristophontis, iam auctoritatem magnam nactum esse. Nec Chares partes mutaverat. Nam si se dedisset factioni pacem paranti, loco suo cedere debuit. Atque etiam paulo post Eubulus eum accusasse narratur. (Aristot. Rhet. I, 15 cfr. Schaefer I, 174) Magna arte bellica Chares non eminuerat. Nam Chares quem magno cum contemptu judicavit Timotheus (Plutarchus: an seni sit gerenda res publica ed. Hutten vol. XII p. 113) solum aptum ad impedimenta post imperatores gestanda, se ad res maiores feliciter gerendas idoneum non praestitit; carebat enim consilio et prudentia. Erat exploratum eum tantum res minores prospere finire posse. Neque melius de Charete Isocrates, judicat. Dicit enim (de permut. 117) Timotheum hominibus, ac Charete, — hunc enim significat sine dubio Isocrates, etsi non nominat — uti taxiarchis et lochagis, tamquam ad minores copias regendas aptis. Nempe non magna arte imperatoria opus erat ad favorem populi Atheniensis, qualis tum erat, sibi conciliandum. Timotheus et Iphicrates, qui erant maximi aetatis suae imperatores, populo non erant accepti. Chares contra ea praeditus erat arte, qua sibi conciliaret animos populi Atheniensis; auram favoris popularis prospere captabat. Quam peritus esset assentandi populo, commemoravimus. Aeschines (de f. l. 71) nobis tradit Charetem oratores Athenis corrupisse, ut loquerentur ex favore ipsius. Quod verum esse putare possumus, quum Theopompus (Philipp. l. XLV, 238, apud Athen. XII. p. 532 C. D. Mueller frag. hist. Graec. vol I. p. 318) cum Aeschine consentiat; etiam in suffragiis corruptionem adhibuisse Chares dicitur ab utroque iisdem locis. Erant hae istae artes, quibus tum utebantur homines populares, ut niterenter in populo.

Athenienses igitur, quo magis irascebantur Iphicrati et Timotheo, qui favore populi contempto suo uterentur arbitrio, eo magis amabant Charetem, qui contraria faceret. Quum esset statura magna, eo facilius Chares sibi conciliaverat amorem et studium popoli. Erat robustus, viri aetate florens, figura vere militari. Atque etiam ad Athenienses tum pertinebat illud Taciti (hist. I, 7) morem esse vulgi „imperatores forma ac decore corporis comparare.“ Itaque cum studio Chares in decem imperatoribus creatus erat. (Plut. an seni sit gerenda res publica ed. Hutten vol. XII. p. 213. Isocrat de permut. 116.)

Si respicimus Charetem ducem expeditionum non postulasse, ut augerentur opes a populo commissae, sed semper prolixe pollicitum esse — quae nimirum non praestitit. (Dion. Hal. ars rhet. c. 4 V p. 245, ed. Reiske) — non miramur, cur populus Atheniensis illius temporis facile ignoverit res a Charete male gestas.

Multa vitia praeter commemorata in Charete erant. Certe credendum est Aeschini pecuniis exactis vi a Charete Athenas malam famam habere apud socios (Aesch. de f. l. 71 cfr. Plut. Phoc.) Neque enim ipse Demosthenes Charetem, quem alio loco (cf. infra) defendat, excipit ex numero imperatorum, qui pecunias repetant a sociis Atheniensium (Dem de Chers. 24 c. Aristocr. 61). Cura mercenariorum alendorum Chares excusari non potest, nam illa rei publicae utilitas neglecta est. Praeterea Chares, si ceteros eius peculatus respicimus, suis commodis non defuisse putandus est. Charetem pecunias publicas sibi traditas ad sumptus rerum gerendarum faciendos pro se adhibuisse Aeschines et Theopompus narrant. (cfr. supra.) Etsi non rectum mihi videtur, quod dicunt illi vituperatores Charetis eum nihil pecuniarum eo modo, quo constitutum esset, adhibuisse, tamen is peculatus commisit sine dubio, praesertim quum Demosthenes (de Chers. 47) diceret pecunias ad bellum gerendum destinatas duci non esse committendas, sed melius putaret administratores quosdam (ταμίας) constitui qua ex re intelligitur Demosthenes fidem non habuisse; Chareti, qui illi tempore semper fere praeesset rebus gerendis. Theopompus (cfr. supra) narrat Charetem non solum corrumpendi causa pecunias impendisse (cf. Theopomp et Aesch. supra) sed etiam ad sustentandas me-

retrices, quas secum duceret in expeditionibus. Neque hoc incredibile est. Chares quum inter mercenarios prima meruisset stipendia, amabat vitam illorum hominum venalium, qui mercedem celeriter terebant, quum mors semper iis obversaretur. Quae res non minuit auctoritatem Charetis aut favorem Atheniensium, sed auxit, ut Theopompus narrat; qui hoc recte factum esse dicit; Athenienses enim eodem modo vivere, adolescentes cum tibicinis et meretricibus tempus terere, maiores natu lusu tesserario et omnem populum plus temporis impendere voluptatibus publicis, quam rei publicae administrandae. Quomodo etiam ab aliis populus Atheniensis, qualis tum fuit, describitur. Si vero eodem loco Theopompus Charetem dicit esse inertem et lentum, odio et irae nimis indulget, Charetem semper propensum fuisse etiam ad immaturum impetum, non dubitasse inter milites suos pugnare audimus. Quae audacia mihi non coniuncta esse videtur cum inertia et tarditate, quamquam non est imperatoris.

Ex his, quae exposui, quum appareat, quibus artibus Chares Athenis locum suum tenuerit, quibus rebus adiutus sit, tum intelligitur etiam hominem talem hostibus fortiter resistentibus non potuisse copias Athenienses prospere ducere. Chares talis, qui erat, evasit ex ipsa illa aetate, nec peior plurimis aequalibus nec melior. Nos autem ad excusandum Charetem dicere possumus eum etiam in bello sociali mercenariis modo praefectum fuisse. Res enim mercenariorum Atheniensium tum et postea pessime se habuisse scimus. Quibus moribus omnino illi essent, jam supra exposui. Chares vero ipse indulgens voluptatibus non erat ea animi vi, qua coerceret tales turbas, qua erant viri, quos removerat.

De institutione horum mercenariorum idem fere sentio quod Ruestow et Köchly (de rebus militaribus Graecorum p. 85 ss.) sed illud, quod hi viri putant centuriones quosdam Graecos, milites probatos, rerum novarum et pecuniae cupidos, quibus reges aut urbes committerent auctoramentum, alios quosdam adiisse, qui conquirerent mercenarios, quibus tum praeessent, eosque traderent ei, qui mandaverat, qui strategus tum praeficeretur exercitui mercenario, illud igitur de Atheniensibus Charetis tempore dici non posse mihi videtur. Athenis enim uni aut

pluribus ex decem imperatoribus summa belli deferebatur et exercitus mercenariorum conformandus dabatur. Peregrini tum non praeerant rebus gerendis. Duces Athenienses sunt strategi et cives Athenionses. Strategus destinatus cum notis mercenariorum ducibus se coniunxit. Hi sunt sine dubio ii, quos Aeschines (de fals. leg. 71) nominat „ἡγεμόνες“ et quos non fuisse cives Atheniensis plane dicit. Hi praeficiebantur mercenariis suis ita, ut summam imperii haberet strategus Atheniensis. Obligati vero non erant militiae imperatoris Atheniensis, sed Atheniensis populi. Hoc mihi concludi posse videtur ex his causis: Ac primum quidem, quum post cladem apud Embata, Iphicrates, Timotheus, Menestheus avocarentur, omnes copiae iussu Atheniensium sub imperium Charetis, a quo mercenarii illorum non essent conquisiti, venerunt. Si peregrini milites militiae illorum trium imperatorum obligati erant, hoc fieri non potuit. Deinde postea in bello Olynthio. Chareti, quum tertia auxilia mitterentur, data est a populo Atheniensi summa imperii mercenariorum, quos Charidemus in Chalcidice peninsula reliquerat. Tum Athenienses suae ipsorum potestatis tenaciores erant, quam ut permitterent imperatores mercenarios suae militiae obligare. Mercenarii igitur civitati Atheniensi obligabantur, neque vero in tempus definitum (Dem. Phil. I, 33) ita, ut, si mercedem non acciperent, imperatorem Atheniensem valde vexare possent. Itaque non erat mirabile, si Chares, ut exercitum continere posset, sibi suo arbitrio pecuniam comparabat. Maxime coercere poterat imperator milites gregarios per singulos centuriones, qui plus valebant in turbis ab ipsis fere ex suis popularibus conductis, sed illi erant pecunia conciliandi. Etiam hac re Charetem usum esse Aeschines nobis tradidit (de fals. l. 71). Tum erat valde vituperandum, quod pecuniae ad mercedem et victum mercenariorum praebitae imperatori Atheniensi mercenariis praefecto tradebantur, (Dem. de Chers. 47), quae res ad peculatus faciendos incitabat et efficiebat, ut nonnunquam ἐξετάσται (Aesch. c., Timarch. 113, Boehnecke 17,) mitterentur, qui inquirerent, num numerus mercenariorum ab imperatore indicatus re vera existeret.

Magistratus ad exercitus singulos mercenariorum inspiciendos (Wachsmuth Hellenische Alterthumskunde II, p. 327) Athenis tum non videtur fuisse.

Vita.

Natus sum Paulus Jonas in urbe Oppeln a. h. s. XLV. die IX. mensis Novembris patre Ottone iam mortuo, matre Carolina e gente Kleiner. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus puer decem annorum adii gymnasium regium catholicum Oppoliense, quod Stinner directore adhuc fforet. Testimonio maturitatis a. LXIV. d. XV. m. Aug. accepto hanc academiam petii atque a viro illustrissimo Roemer rectore magnifico fasces tunc tenente d. XXII. m. Oct. inter cives academicos receptus apud philosophorum ordinem nomen dedi. Inde ab hoc tempore per tria semestria lectionibus interfui v. ill. Braniss, Haase, Hertz, Junkmann, Neumann, Roepell, Rossbach. A. h. s. LXVI. per sex menses stipendia feci, deinde rebus domesticis coactus privatum magisterium subii: a LXVIII. m Mai. Vratislaviam redii. Scholis interfui v. c. Junkmann, Neumann, Roepell, Rueckert et exercitationibus seminarii historici regii. Illis viris optime de me meritis gratias ago maximas quum omnibus tum Junkmann et Carolo Neumann, qui prae aliis me in studiis meis benevolentissime adiuverunt.

Theses.

I. Spartanos semper utilitati totius Graeciae sua commoda anteposuisse contenditur.

II. Embata, ad quem locum a. CCCLVI a. C. socii, qui ab Atheniensibus defecerant, Athenienses vicerunt, in Hellesponto ponenda sunt.

III. Tribuni plebis ante legem Publ. (CCCCLXXI a. C.) comitiis centuriatis creabantur.

IV. Geographia studio maiore in gymnasiis exercenda est.


3 0112 105477134